



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

159 Excommunicationes à jure, vel ab homine latae inter se differunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

Video etiam, pro re indubitata haberi ab aliquibus, posse regulariter Reges defendere possidentes colorato titulo beneficia ecclesiastica, ne absque iusta causae cognitione deturbentur, vel spolientur, quod jure munire conantur. An verò satis muniant, nec ne, Sanctissimi Domini Nostri definitioni remitto, sic ille, in *Man. cap. 27. num. 70. vers. secunda quod.* Cui sequentibus verbis respondet Azor. Sed profectò, cum sacri canones, & summi Pontifices semper consuetudinem, quæ est contra libertatem ecclesiasticam, & corruptelam, improbent, ac damnent; non est, cur dubitemus, sit, nec ne eorum improbanda, & rejicienda sententia, quæ est summo Pontificum decretis, & sacris canonibus contraria, nostrum est parere, & imperata facere, non contra canones docere, aut docentes tueri, in *eod. lib. 3. cap. 12. sub eod. vers. quæri solet, in fin.* Quoddamque iudices laici in dictis causis non sint competentes, probat *Pot. decis. 361. in fin. lib. 1.* post plures Rot. decisiones. *Gomel. in reg. de anna. poss. ff. quæst. 46. num. 2.* & nuper Rota, coram Decano Blanchetto; & Pegna, ut in *decis. de quibus supra sub num. 91. & seqq.* ex quibus reprobantur in contrarium ab aliquibus deducta de manifesta tolerantia Papæ, & universalis ecclesiæ, quod officiales laici faciant executiones contra personas ecclesiasticas super fructibus beneficiorum occasione onerum ordinariorum, seu extraordinariorum.

156 Quia illæ ꝑ executiones erunt semper in offensam ecclesiasticæ libertatis, & illas committentes, consultantes, exequentes. aut exequi mandantes, excommunicationis sententiam, in Bulla Cœnæ Domini,

non evadunt; ex deductis supra, *num. 130. 131. & 132.* Et est excommunicatio ab antiquo Sedi Apostolicæ reservata, ut in *extravag. comment. Paul. 2. c. si dominici de pœn. & remis.*

157 Quod ꝑ autem publicatio facta Romæ sufficiat post Ioan. Mo. Ioan. Andr. Innoe. & Paul. de Leaz. fuit decisum à Capel. Tolos. in *decis. 445.* quam sequitur *Gomel. in præm. regul. cancell.* quia Roma est caput omnium ecclesiarum orbis, *n. 13. & Azor. eod. lib. 3. vers. secunda opinio.* Et ultra rationes per Azor allegatas, quod non excusentur magistratus, licet tollerentur, & videantur non haberi pro excommunicatis; ꝑ multa per patientiam tolerantur, quæ si deducta forent in iudicium, exigente iustitia, non debent tolerari: nec per talem patientiam sequitur dispensatio, *cap. cum jam dudum. junct. gloss. fin. & ibi Abb. numer. 10. de prob.* Et licet Papa sciat, non voluntariè tolerat; & hoc casu illius scientia non excusat, ut; post Ioan. de Lig. & alios per eum citatos, tenet *Abb. in cap. clericus in fin. de jud.*

159 Utum ꝑ autem excommunicationes in Bull. Cœnæ Domini contentæ dicantur ab homine, vel à jure latæ, cum inter se differant; quia regulariter ab homine sententiæ excommunicationis latæ non subsistunt, nisi trina monitio canonica, vel una pro tribus præcedat, ut *cap. constitutionem, §. statumus; & gloss. in verb. monitionem; de sentent. excommunicat. in 6.*

A jure autem nulla monitione præmissa, valent, & tenent, & in pluribus aliis differunt, de quibus per *Graft. decis. aur. par. 1. lib. 2. cap. 2. num. 7. & seq.*